



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Titulus XIX. De Rerum Permutatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

teusi triennium requiritur, quo emphyteuta pensionem non solverit *cit. L. 2.* at vero in Ecclesiastica sufficiat biennium: ita tamen, ut mora purgari possit satisfactione celeri, id est, spatio decem dierum, nisi malis dicere cum *Gl. hic v. celeri Abb. n. 12. Gl. in L. etsi post 8. v. pluresve ff. si quis cautionibus Sc.* Judicis arbitrio relinquitur, quodnam tempus modicum censi debeat, quandoquidem in jure determinatum non est *argum. c. de causis 4. §. illis, de officio delegari & tradit Gl. in L. si ita quis 135. §. seria ff. de verborum obligatione.* Et est hoc commune etiam alijs debitis, quod paria sint solvere tempore constituto, & intra paucos dies juxta *L. si duo 16. §. ult. junctâ L. sequente, ubi Gl. marginalis ff. de constitutâ pecuniâ:* dummodo damnum æstima-

bile ex tali dilatione creditori occurrat non sit.

Necesse autem est, ut pensio integrâ feratur. At verò partem pensionis et in emphyteutica, aut locata dominus recipere non cogitur *L. 3. junctâ Gl. v. in locat. Cod. de locato.* quia, uti dicitur in *L. 3. ff. de milita Herciscunda* solutio partium minima incommoda habet.

Notandum secundum. Si dies, si tempus solvendi à Lege, aut ab homine, in partium conventionem definitum sit, non est opus, ut debitor admonetur, sed post tempus, siue diem transactam in mora constituitur, quæ tamen si modica, siue paucorum dierum, creditori notabiliter non sit, purgari potest, sicuti supra dixi.

TITULUS XIX.

DE RERUM PERMUTATIONE.



Um etiam Permutationis contractus magnam cum emptione ac venditione familiaritatem gerat, prout docui *lib. 3. tra. 4. c. 17. n.*

1. idè ordinis ratio postulare videbatur, ut titulus iste subnecteretur.

CAPITVLVM I.

Si Princeps.

PARAPHRASIS.

Si ex causa rationabili Princeps petat rem Ecclesiæ immobilem, cum alia immobili commutari, liceat id facere ex communi consensu, dummodo res, quæ Ecclesiæ vicissim datur, majoris, vel æqualis pretij sit, & pragmatica sanctio promulgetur.

SUMMARIUM.

1. *Afferuntur hujus decisionis exempla.*
2. *Quis Principis nomine intelligatur, quid sit sanctio pragmatica.*

EXempla hujus rei affert *Joan. And. lib. 1. c. 1. si Ecclesia prædium habeat vicinum prælati Principis, quod ipse amplificare velit, vel hortum construere; vel si Ecclesia habeat castrum opportunum munitionibus versus hostium incursum &c.* propter necessitatem, aut commoditatem Principis possit res Ecclesiæ immobilis pro alia immobili commutari, tamen in ea commutatio non cernatur major Ecclesiæ utilitas, si non est, si damnum non incurrat. Ratio est, quia merita Principis, & honor ipsi debentur id postulare videntur, ut ejus petitioni locus fiat, si absque Ecclesiæ incommodo possit. Reliquæ tamen solemnitates, videlicet, auctoritas Superioris, consensus Capituli, &c.

status præcedens intervenire debent, cum horum remissio facta non sit, sicuti *And. hic* monet.

Potè tametsi Principis nomine Imperator aut Rex intelligi debeat, sive qui Superiorem non habet, videtur tamen etiam ad alios magnos fundatores, ac patronos id extendi posse, quandoquidem talis permutatio non coacta, sed rogata, si alioquin Ecclesiæ noxia non sit, eâ ipsâ ratione utilis videri potest, quia fit propter valde potentis, & multum de Ecclesiâ meriti patroni honorem, & utilitatem; ut proinde sufficiens causa sit permutandi, non item vendendi, quia vendito magis noxia est Ecclesiæ, quàm permutatio cum re æquali, aut majore, præterquàm si princeps se obliget, quod pretio constituto aliam rem æquivalentem, & æquè commodam Ecclesiæ, seu loco pio comparare velit.

Quæres. Quid sit sanctio pragmatica? Resp. ex *L. ult. S. ult. Cod. de diversis re scriptis*. esse rescriptum aut decretum, quod super causâ publicâ cum consilio procerum ex Principis curiâ promanat.

CAPITULUM II.

Ut commutationes.

PARAPHRASIS.

Commutationes rerum Ecclesiasticarum, quæ ab antecessoribus prælatis factæ sunt inconsultè, successor emendare debet.

Notandum. Successor debet revocare alienationes rerum Ecclesiasticarum illegitimè factas à suis antecessoribus, videlicet si sine justa causâ utilitatis, aut non servatis solemnitatibus factæ sunt. Verùm in hoc casu, si alienatio utilis Ecclesiæ videatur, solemnitates postea suppleri possunt: quæ ratio esse videtur, cur in textu non dicatur, permutationes esse revocandas, sed emendandas: quod varijs modis fieri potest, videlicet supplendo solemnitates omittas, agendo per viam nullitatis, per viam restitutionis in integrum, denique agendo

ad supplementum pretij, si læsio in permutatione contigit, ultra dimidium iusti valoris &c.

CAPITULUM III.

Mancipia.

PARAPHRASIS.

Ecclesiæ mancipia permutari non debent cum alijs mancipijs, præterquam in ordine ad libertatem, ita videlicet ut quæ mancipia Ecclesiæ erant, libertatem consequantur, & alia (laicorum) mancipia in ipsorum locum subrogentur, nam quod DEO semel consecratum est, ad humanos usus transferri non decet.

Notandum. Servus, seu mancipium Ecclesiæ non debet alteri videlicet laicæ, aut privatorum personæ donari, seu aliter ad ejus dominium transferri, seclusa plenitudine summi Pontificis juxta *c. Ecclesiasticis 67. causa 12. q. 2.* Ratio datur in textu, quia servus Ecclesiæ servitijs divinis deputatus censetur, & ideo non decet, eum ad humanos ac sæculares usus, atque servitia mundana transferri.

CAPITULUM IV.

Injustum.

PARAPHRASIS.

Mancipia, quæ à fidelibus DEO, & sanctis Ecclesijs, pro remedio animarum suarum oblata, & consecrata sunt, non debent per donationem, aut permutationem iterum ad sæcularem servitutem reduci, quandoquidem Sacri Canones servos duntaxat fugitivos distrahi permittunt, & ideo caveant Ecclesiarum Prælati, ne unius eleemosyna alterius peccatum fiat, cum etiam absurdum sit, si servus ab Ecclesiastica dignitate discedens humanæ fiat obnoxius servituti.

SUMMARIUM.

1. Donata Ecclesia, pietatis causâ donata censetur.

2. 3.

2. Quæ

2. *Qua Ecclesia mancipia, & quomodo alienari possint?*

utiles esse videntur, alibi se utilis exte-
ceant.

SUMMARIUM.

1. *Præbenda, & beneficia Ecclesiastica permutari non possunt, partium tantum consensu.*
2. *His auctoritatem præbere, si utilitas aut Ecclesia necessitas requiratur, ad Episcopum pertinet, aut eos Prælati, qui Episcopali auctoritate sunt præditi.*

Notandum primò. Præbendæ, & beneficia Ecclesiastica non possunt permutari partium conventionem. Imò ejusmodi pactiones tanquam Simoniacæ prohibentur hic & c. ult. de pactionibus. Ratio est, quia beneficia Ecclesiastica sine auctoritate superioris Ecclesiastici licite obtineri non possunt c. 1. de regulis juris in 6. Quo cum non pugnat, quin partes inter se tractare possint de permutatione faciendâ, dummodo et ipsi pro rata, seu firma non habeant, sed ad superioris consensum & auctoritatem dirigant secundum gl. in clement. unius & c. volentibus hoc tit. & docui lib. 4. tra. ult. c. ult. §. 5.

Notandum secundò. Ad Episcopum, vel Episcopali auctoritate præditum prælatum spectat permutationes beneficiorum ex causa utilitatis, vel necessitatis instituire; non item ad alios, tamen si jus conferendi habeant. Ita Innoc. hic And. n. 5. Imola n. 6. Gl. cit. Clement. v. conferuntur. Verum tamen eorum, qui jus præsentandi, eligendi, aut conferendi habent, consensus requiritur, prout Joann. And. & Gl. in tit. Clement. monent, & docui lib. 4. tra. ult. c. 17. n. 7.

Facilius etiam institui potest permutatio si eam partes petant, vel utroque consentiant, etiam propter ipsarum commodum, quippe quod saltem indirectè redundabit in Ecclesiæ utilitatem, dummodo ea aliud passura non sit incommodum; sin autem Ecclesiæ utilitas, vel necessitas postulet, quia v. g. par-

Notandum primò. Donatio, quæ Ecclesiæ fit, censetur facta causâ pietatis, & pro remedio animæ. *argum. hujus cap. & c. requisisti 15. de testamentis.*

Notandum secundò. Mancipia sive servi Ecclesiæ vendi non debent, nisi fugitivi sint. *c. fugitivi 54. causa 12. q. 2.* Debet autem hoc in casu venditor patefacere vitium mancipij, sicuti & aliarum mercium vitia, si occulta sint, alioquin competit emptori actio redhibitoria, si patefacto sibi vitio empturus non fuisset, vel actio, quantò minoris, seu ad restituendam pretij partem, si nihilominus empturus fuisset, sed minore pretio, sicuti explicavi lib. 3. tra. 4. c. 17. n. 14. & 15. & tradit Abb. hic n. 2. addens n. 4. quod venditor vitium occultum mercis clarè, & specialiter exprimere debet, & non sub involuto verborum ponere, ita, ut emptor verè inesse non existimet.

Notandum tertio. Eleemosyna unius, seu largitio pia Ecclesiæ facta occasionaliter sæpe fit peccatum alterius: quod maxime his nostris sæculis accidit, quando piæ fundationes majorum, à posteris infestantur, minuuntur, auferuntur.

CAPITULUM V.

Quæsitum.

PARAPHRASIS.

Cùm in Concilio Turonensi prohibita esset commutatio dignitatum, quæsitum fuit, an idem de præbendarum commutatione intelligi deberet. Respondet Papa generaliter tenendum, quod præbendarum commutationes de jure fieri non possint, præsertim præmissa partium pactione, quippe, quæ circa spiritualia, aut spiritualibus annexa, Simoniam continet; sin autem Episcopus necessarium esse duxerit, potest is personas de loco in alium locum transferre, ut quæ uni loco minus

parochus, alijsve beneficiarius propter odium contractum apud plebem, vel Magistratum utilis futurus non putatur, Episcopus proprio motu permutationem instituire potest *argum. hujus c. ubi id docet Abb. n. 8. Imola n. 6. & argum. c. nisi 10. de renunciatione, ubi id Innocentius docet.*

CAPITULUM VI.

Ad quaestiones.

PARAPHRASIS.

In quadam diocesi duae erant Ecclesiae Conventuales habentes singulae parochiam sibi unitam: has duas parochias Religiosi permutare volebant propter vicinitatem majorem, sed quia una earum uberioris proventus habebat, idem Conventualis Ecclesia, sive Monasterium, cui suberat, postulavit, summam aliquam pecuniae superaddi. Quaestum fuit, num id liceret: respondet Clemens III. permutationem parochiarum per se, ac seorsim faciendam esse, & contractum permutationis possessionum, cum refusione pecuniarum, quatenus unius parochiae possessiones majoris valoris sunt, itidem per se, ac seorsim instituendum esse, ita, ut hi contractus non misceantur.

SUMMARIUM.

1. Etiam beneficia, quae in proprietatem tenentur, permutari possunt.
2. Non tamen possunt vendi.
3. Possessiones tamen illis annexae in estimationem deduci possunt, praesertim cum de his contractus specialis fiat.

Notandum primò. Beneficia non tantum permutari possunt, si teneantur in titulum, sed etiam si teneantur in proprietatem. Ita *Hofst. & Abb. hic n. 2. & dixi de hoc in lib. 4. tra. ult. §. 5. q. 6.* Divertimodè autem Superioris consensus, seu auctoritas requiritur, prout bene notavit *Abb. n. 5.* si enim permurentur beneficia,

quae possidentur in titulum, requiritur Superioris auctoritas, quia beneficium sine Canonica institutione non obtinetur; si autem permurentur beneficia, quae habentur in proprietatem, tunc requiritur consensus, & auctoritas Superioris, sicuti ad quandam rei Ecclesiasticae alienationem, sicuti constat *ex tit. de rebus Ecclesiae non alienandis.*

Notandum secundò. Licet Ecclesiae, & beneficia, quae tenentur in proprietatem, ex causa justa utilitatis, & adhibitis solemnitatibus permutari possint, non tamen vendi, seu pro pretio dari. Ita *Gl. hic v. per se.* Ratio est, quia spiritualia non possunt pretio aestimari, aut comparari, ut hic, & *c. cum pridem 4. de pactis c. super eo 7. de transactionibus.* emptio autem & venditio sine pretio non est *§. item pretium. Instit. de emptione.*

Notandum tertio. Possessiones annexae Ecclesijs, seu beneficijs permutandis in estimationem secundum se venire, atque vendi possunt ex causa justa, & adhibitis solemnitatibus, eò quod temporales sint, & pretio aestimabiles. Tamen si verò consultum sit, ac tutius ad vitandam Simoniae suspicionem, ut duo distincti contractus sub diversa verborum forma instituantur, quorum unus sit permutationis Ecclesiarum secundum se, alter verò permutationis, aut venditionis possessionum; sufficere tamen videtur, si fiat per modum unius contractus aequivalentis duobus, hoc modo, parochiam unam cum praedijs, & juribus adhaerentibus permutamus cum parochia, ita ut compensatio uberiorum proventuum nostrae parochiae fiat mille aureis numeratis.

CAPITULUM VII.

Cum olim.

PARAPHRASIS.

Magister S. & B. Archidiaconatum, & Praeposituram inter se permutarunt; ea causa coram delegatis iudicibus agitata fuit; postea verò coram Innocentio III.

in

in curia Romana, ubi S, sponte confessus fuit, permutationem inter partes peractam esse. At verò B. hoc idem negavit asserens, quòd Præposituram purè & sine conditione resignavit, atque Archidiaconatum post resignationem magistri S. affectus fuerit. Pontifex autem, cum cognovisset, B permutationi consensum dedisse, magister S. etiam errorem suum publicè confessus esset, hunc Præposituram, & illum Archidiaconatum per sententiam privavit.

SUMMARIUM.

1. Permutatio beneficiorum propriâ auctoritate facta in foro conscientie nulla quidem est, possunt tamen per sententiam iudicis privari beneficijs taliter permutantes.

Notandum. Pœna eorum, qui beneficia inter se propriâ auctoritate commutant, est privatio, sive ut ea amittant; quod intelligi debet per sententiam iudicis; alioquin verò spectato conscientie foro, cum resignatio, & permutatio propriâ auctoritate facta iuribus caruerit, possunt permutantes redire ad sua beneficia, sicuti docui lib. 4. tra. ult. c. ult. §. 5. q. 2. & hanc sententiam docuit *Petrus Nau. de restitutione lib. 2. c. 2. propè finem. Lessius lib. 2. c. 35. n. 100.* licet aliter sentiant *Suarez tom. 1. de relig. lib. 4. de Simonia c. 55. n. 18. Garzias de beneficijs p. 11. c. 4. n. 58.* qui dicunt hodierno jure permutantes beneficia, incurrere excommunicationem, & esse privatos ipso jure per *Extravag. 2. de Simonia.*

CAPITULUM VIII.

Cum universorum.

Canonicus G. & Clericus L. de Permutatione præbendarum inter se tractarunt, quòd ea utriusque parti utilis videretur; postea verò licet G. præbendam suam resignavit, quæ L. Clerici consanguineo assignata est, ipse tamen L. præbendam suam vi-

cissim, prout promiserat, resignare noluit. Hac causâ intellectâ responderet Innoc. III. quòd hi Clerici per se ipsos, in propriâ auctoritate beneficia permutare non poterint; nihilominus, cum conceptis, & non decipientibus jura subveniant, & simplicitati venia danda mandare se, ut si constiterit, dictum G. prout narratur, deceptum fuisse, amari consanguineo dicti L. vel quolibet alio deventore præbendam suam restituatur dicto G. executores eurent.

SUMMARIUM.

Jura illis ignoscunt, & succurrunt, ob simplicitatem decipiuntur.

Notandum primum. Ijs, qui ob simplicitatem decipiuntur, jura ignoscunt, & subvenire solent, ut hic & in c. super literis 20. de rescriptis, idque maxime, si sint personæ, quæ jura ignorare possunt, in quibus juris ignorantia ignoscitur, videlicet homines rustici, milites, famuli, minores natu *L. regula 8. ff. de juris & facti ignorantia.*

Notandum secundò. Qui propriâ auctoritate beneficium, permutandi causâ, resignavit, & tradidit, tamen vicissim nihil receperit, in pœnam privati potest. Ita hic v. simplicitati. & colligitur ex textu quando significatur, Canonico G. ob simplicitatem ejus gratiam fieri, quòd præbendam, quam commutandi causâ resignavit, restituatur.

Id verò probabile est, quòd præbendam suam animo permutandi, seu aliam vicissim recipiendi propriâ auctoritate resignavit à iudice privato per sententiâ ipsi in pœnam non inferatur, effectu permutationis non secuto, sive non receptâ vicissim præbendam suam, quam resignavit, repetere possit, quam datam ob causam, causâ non secuta, secundum doctrinam quorundam, quæ *Gl. finalis* allegat, & sequitur *Parisijs de resignationibus lib. 1. q. 1. n. 12. Lessius lib. 2. c. 34.*

2. c. 34. n. 193. Idque maxime locum habere debet spectato jure novo *Clemens, unica hacten.*

CAPITVLVM IX.

Exhibita.

PARAPHRASIS.

Inter Abbatem, & Conuentum monasterij S. Martini in Pannonia ex una parte, & Praepositum Albanensem ex altera lis orta fuit super decimis. Ea delegata fuit Capellano Papae in Pannonia commoranti, in eundemque & Magistrum M. partes tanquam in arbitros compromiserunt; ij pronunciarunt, si Praepositus a Regellngaria impetravit decem millia solidorum, concedi monasterio; quod monachi cessare debent a decimarum petitione: super hoc pronunciato, cum Gregorius IX. consultus fuisset, mandauit is quibusdam Abbatibus: quandoquidem permutatio spiritualium cum temporalibus reprobata est, ut si ipsis, ita rem actam esse, constiterit, ut dictum arbitrium, & quod ex eo secutum est, irritum esse decernant.

SUMMARIUM.

1. In iudicem delegatum tanquam arbitrum compromitti potest.
2. Compromisso in aliquos tanquam arbitros transactionis vicem habere potest.
3. Jus decimarum clericatum pro re temporalis permutari non potest.
4. Transactio proprie dicta, auctoritate partium facta, non valet, si uni litigantium adjudicetur quid spirituale, cum obligatione solvendi alteri parti temporale aliquid.

Notandum primum. In iudicem delegatum compromitti potest tanquam in arbitrum c. litteras 14. de praesumptionibus c. nisi 21. de praebendis.

Notandum secundum. Si in unum, vel plures compromittatur tanquam in arbitros, seu compositores, id cuiusdam transactionis vicem subit *authent. ut differentes iudices collatione 6.* ubi id *Gl. monet v. conuentum*, atque ex eo apparere ait, quia non totum id, quod auctori debetur, arbitratores faciunt eidem praestari; interdu enim reum, aduersus quem nihil probatum est, aliquid praestare iubent. Vide, quae dixi lib. 1. *Decretalium in rubricatis. de arbitris.*

Notandum tertio. Jus decimarum Clericalium, cum spirituale sit, & in spirituali titulo fundatum, & non potest pro re temporalis commutari, multo minus vendi, adeo, ut talis contractus, & quidquid ex eo secutum est, ipso jure irritum sit: quocum non pugnat, quod fructus decimales vendi possint, imò etiam facultas percipiendi ad certum tempus locari c. 2. de locato. propterea si jus decimarum a titulo spirituali legitima auctoritate abstractum sit, absolute, & in perpetuum vendi non est illicitum.

Notandum quarto. Non valet arbitratoris pronunciatum, quo decernitur, ut causa dubia super jure spirituali uni litigantium adjudicetur, is verò propterea gravatus sit, alteri parti pecuniam, aliudve pretio aestimabile solvere. Consentit c. super eo 7. de transactionibus & c. 2. de arbitris. Neque ob stare debet c. nisi 21. de praebendis. rectè enim respondet *Gl. in c. 2. de transactionibus.* quod transactio, proprie sumpto isto vocabulo, fieri non potest super re spirituali, ita, ut detur aliquid temporale, cum sit Simoniacae pactio, siue à partibus initium habuerit c. cum jam 4. de pactis. c. constitutis 4. de transactionibus, siue ex arbitri, vel arbitratoris pronunciato, prout hic apparet, & in c. 2. cit. junctà *Gl. v. quinque marchas.* & docui in cit. c. super eo: nam transactio est in re dubita, non gratuita pactio, prout docui lib. 3. tra. 4. c. ult. idèoque si super re spirituali v. g. jure decimarum, dato aliquo temporali, proprie dicta transactio fiat, tunc jus saltem dubium alteri parti compe-

reus redimitur aliquo temporali, seu pretio æstimabili, quod est Simoniacum.

At verò transactio improprie dicta, sive compositio amicabile videlicet ob bonum pacis, & concordie per iudicis ordinarij, aut delegati, imò etiam arbitratorum auctoritate fieri potest, juxta *cit. c. nisi*, ubi id docuit, & *ibidem Gl. v. ex jussione*, quæ rectè monet, quòd talis compositio amicabile fieri non possit partium conventionione, & ideo si inter partes ita transactum fuerit, ut unus à lite beneficiaria recedat, eique temporale quidquam detur, Superior confirmare non debet, sicuti docet etiam Suarez *tom. 1. de religione lib. 4. de Simoniacâ p. 51. n. 21.* & sumitur *ex c. cum pridem*, ubi id dixi *not. 1. de pacis*. Propterea si constet, parti uni jus ad beneficium, aut decimas clericales competere, vel saltem causam, quæ in judicio versatur, ita comparatam esse, ut pro ipso sententia ferenda sit, tunc iudex compositionis ejusmodi auctor esse non potest, ut quidpiam temporale detur illi parti, quæ dicto jure nititur, cum te ipsa daretur in compensationem juris, seu ut jure spirituali cedat, prout colligitur *ex cit. c. 2. de arbitris*.

CAPITULUM UNICUM.

eodem Titulo in sexto.

Licet.

PARAPHRASIS.

Romanus Pontifex Titio dedit gratiam expectativam, id est, quòd beneficium in die celsi ipsi conferendum sit, si vacet, aut si jam non vacet, quòd proximè vacaturum est, dato certo executore ad compellendum. Postea accidit, ut duo Clerici in eadem die celsi in manu Ordinarij resignarent, causâ permutationis. Tunc Titius accessit ad Ordinarium, & petijt beneficium resignatum sibi conferri vigore gratiæ expectativæ. Hoc in casu ait Bonifacius VIII. licet Titius secundum rigorem obtinere debeat, spectatâ tamen

æquitate, quæ juris rigori præferenda est expectativas gratias in beneficijs resignatis causâ permutationis locum non habere, cum eorum resignatio facta sit conditione permutandi, quæ potest impediri non debet.

SUMMARIUM.

Non obstantibus gratijs expectativis permutatio beneficiorum fieri potest.

Notandum. Permutatio beneficiorum fieri potest non obstantibus gratijs expectativis, sive, ut aliter dicam, gratiæ expectativæ se non extendunt ad beneficia resignata, causâ permutationis. Ratio sunt duæ. Prima. Licet beneficia resignata in manu Ordinarij verè vacent, sed considerato rigore, ac veluti exterrè verborum, comprehendantur sub gratijs expectativis, in quibus generatim dicitur, primò vacaturum beneficium conferendum, tamen ratio æquitatis, quæ rigori præfertur *L. placuit 8. Cod. de beneficijs*. id non permittit, cum resignatio sit causâ permutandi, sive non in alium benem, nisi ut permutatio sequeretur, sed si secuta non sit, beneficia restituenda permutantibus, & si alicui alteri præterpermutantes beneficium conferatur, juxta collatio *Clement. unica hoc tit.* Alteram gratiam expectativam habens consequi non potest, cum nihil omninò ipsi deperat, quandoquidem Clerici resignationem beneficiorum non fecerunt, nisi animo permutandi, actus autem agentium extendi non debet ultra eorum intentionem ait *Gl. in notandis*.

Excipe, nisi ex qualitate, & circumstantiæ facti appareat, permutatione beneficiorum factam esse in fraudem, tunc ea non obstat, locus esse debet gratiæ expectativæ *argum. hujus c. & tradit Gl. recepta v. in fraudem. & sumitur ex c. 2. de renuntiacione n. 6.* non tamen ideo præcisè, quia beneficium tenue cum pingui permutatur, vel inter senem, & juvenem permutatio non

cedit, sufficiens præsumptio fraudis est, prout hic notavit *Francus n. 12. argum. L. dolus 10. Cod. de rescindenda venditione.* Ubi habetur, quòd dolus emptoris qua-

litate facti, non quantitate pretij æstimatur. ubi *Gl. marginalis.* dolus in venditione intervenisse probatur ex verbis, & actibus.

TITULUS XX.

DE FEUDIS.

Dostequam de contractibus, quibus rerum dominium directum transfertur, in præcedentibus titulis actum fuit, subiungitur nunc de Feudo, siquidem per contractum feudalem transfertur dominium utile, seu jus utilitatis; quare inter species alienationis prohibita Feudum numeratur, scilicet & emphyteusis.

CAPITULUM I.

Insinuazione.

PARAPHRASIS.

Ecclesia Cathedralis Mariensis cuidam M. villam, seu possessiones quasdam concesserat in Feudum. Postea idem M. ab Episcopo Mariensi pecunias mutuas accepit, & dictam villam, seu possessiones pignoris nomine obligavit. Hoc in casu ait Innoc. III. quòd Episcopus fructus ex villa perceptos in sortem computare non teneatur, dummodo interea temporis, quo fructus Ecclesia percipit, dictus M. à servitio, ratione Feudi, Ecclesie præstando immunis sit.

SUMMARIUM.

Offenditur, casum huius Capituli esse specialem.

Notandum. Casus iste specialis est, in quo creditor ex pignore perceptos fructus in sortem computare non tenetur, si videlicet domino directo Feudum pignoris nomine obligatum sit, Ita etiam habetur in

c. conquestus 8. de usuris. & docui lib. 3. tra. 4. c. 16. n. 20. ubi rationem attuli: quia indecens videtur, ut ipsemet dominus directus ex re propria penes ipsum ex voluntate alterius partis, videlicet debitoris, existente, acceptos fructus non lucretur, sed alij tradere teneatur. Quare ita iudicandum, quòd interim, dum feudum pignoris loco domino traditur, Feudi contractus cesset, & consequenter etiam Vasallus à servitio, aut pensione interea liber esse debeat.

CAPITULUM II.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Mediolanensis tria quæsitiva ex Innoc. III. Primum, si coniungat, Vasallum suæ Ecclesie mori, ita, ut Feudum ad Ecclesiam, & Archiepiscopum revertatur, num liceat alterum infeudare non obstante juramento, quo Archiepiscopus obstrictus est non infeudandi de novo, inconsulto Papâ. Alterum, si Vasallus Ecclesie Feudum alienarit, num de eo ipsius filium, aut consanguineum ejusdem Feudi consortem investire possit. Tertium, si Feudum alienatum sit, quod Ecclesia, seu Archiepiscopus facile recuperare non possit, an licitum sit alicui Laico, idem Feudum de novo concedere hac conditione, ut malè alienatum recuperet, & ab Ecclesia recognoscat. Ad omnia hæc quæsitiva respondet Pontifex affirmando.

M m 2

SUM-